

THE CHARTER OF INCORPORATION

**Granted by Henry VIII to the President and College,
or Commonalty, of the Faculty of Physic in London**

Dated September 23rd, 1518, 10 Hen. VIII

HENRICUS, Dei gratia, Rex Angliae et Franciae et Dominus Hiberniae, omnibus ad quos praesentes litterae pervenerint salutem. Cum Regii officii nostri munus arbitremur ditionis nos-trae hominum felicitati omni ratione consulere, id autem vel in primis fore si improborum conatibus tempestive occurramus apprime necessarium duximus improborum quoque hominum qui medicinam magis avaritiae suae causa quam ullius bonae conscientiae fiducia profitebuntur unde rudi et credulæ plebi plurima incommoda oriantur audaciam compescere: Itaque partim bene institutarum Civitatum in Italia et aliis multis nationibus exemplum imitati, partim gravium virorum doctorum Johannis Chamber, Thomae Linacre, Fernandi de Victoria, medicorum nostrorum, Nicholai Halsewell, Johannis Francisci, et Roberti Yaxley, medicorum, ac praecipue Reverendissimi in Christo patris ac Domini, Domini Thomae tituli Sanctae Ceciliae trans Tiberim sacrosanctae Romanae ecclesiae presbyteri Cardinalis, Eboracensis Archiepiscopi, et regni nostri Angliae Cancellarii charissimi, precibus inclinati, Collegium perpetuum doctorum et gravium virorum qui medicinam in urbe nostra Londino et suburbis intraque septem millia passuum ab ea urbe quaquaversus publice exerceant institui volumus atque imperamus: Quibus tum sui honoris tum publicae utilitatis nomine curae ut speramus erit malitiosorum quorum meminimus insciti-am temeritatemque tam exemplo gravitateque sua deterrire quam per leges nostras nuper editas, ac per constitutiones per idem Collegium condendas punire: Quae quo facilius rite peragi possint, memoratis doctoribus Johanni Chamber, Thomae Linacre, Fernando de Victoria, medicis nostris, Nicholao Halsewell, Johanni Francisco, et Roberto Yaxley, medicis, conces-simus quod ipsi omnesque homines ejusdem facultatis de et in civitate praedicta sint in re et nomine unum corpus et Communitas perpetua sive Collegium perpetuum: Et quod eadem Communitas sive Collegium singulis annis imperpetuum eligere possint et facere de Communitate illa aliquem providum virum et in facultate medicinae expertum in Praesidentem eiusdem Collegii sive Communitatis, ad supervidendum, recognoscendum, et gubernandum pro illo anno Collegium sive Communitatem praedictam, et omnes homines eiusdem facul-tatis, et negotia eorundem: Et quod udem Praesidens et Collegium sive Communitas habeant successionem perpetuam et commune sigillum negotiis dictorum Communitatis et Praesidentis imperpetuum serviturum: Et quod ipsi et successores sui imperpetuum sint personae habiles et capaces ad perquiren-dum et possidendum in feodo et perpetuitate terras et tenemen-ta, redditus, et alias possessiones quascunque.

CONCESSIMUS etiam eis et successoribus suis, pro nobis et haeredibus nostris, quod ipsi et successores sui possint perquirere sibi et successoribus suis, tam in dicta urbe quam extra, terras et tenementa quaecumque annum valorem duodecim librarium non excedentes, statuto de alienatione ad manum mortuam non obstante: Et quod ipsi per nomina Praesidentis Collegii seu Communitatis facultatis medicinae London' placitare et implacitari possint coram quibuscumque judicibus in curiis et actionibus quibuscumque: Et quod praedicti Praesidens, Collegium sive Communitas et eorum successores congregations licitas et honestas de seipsis, ac statuta et ordinationes pro salubri gubernatione, supervisu, et correctione Collegii seu Communitatis praedictae, et omnium hominum eandem facultatem in dicta Civitate seu per septem miliaria in circuitu eiusdem Civitatis exercentium secundum necessitatis exigentiam, quotiens et quando opus fuerit, facere valeant licite et impune, sine impedimento nostri, haeredum vel successorum nostrorum, Justidarorum, Escaetorum, Vicecomitum, et aliorum Ballivorum vel Ministrorum nostrorum, haeredum vel successorum nostrorum quorumcumque.

Concessiums etiam eisdem Praesidenti et Collegio seu Communitati et successoribus suis, quod nemo in dicta civitate aut per septem miliaria in circuitu eiusdem exerceat dictam facultatem, nisi ad hoc per dictos Praesidentem et Communitatem seu successores eorum qui pro tempore fuerint admissus sit, per eiusdem Praesidentis et Collegii litteras sigillo suo communi sigillatas, sub poena centum solidorum pro quolibet mense quo non admissus eandem facultatem exercuit; dimidio inde nobis et haeredibus nostris, et dimidio dictis Praesidenti et Collegio applicando.

PRAETEREA volumus et concedimus pro nobis et successoribus nostris quantum in nobis est, quod per Praesidentem et Collegium praedictae Communitatis pro tempore existentes et eorum successores imperpetuum quatuor singulis annis per ipsos eligantur, qui habeant supervisum et scrutinium, correctionem et gubernationem omnium et singulorum dictae Civitatis medicorum utentium facultate medicinae in eadem Civitate, ac aliorum medicorum forinsicorum quorumcumque facultatem illam medicinae aliquo modo frequentantium et utentium infra eandem Civitatem et suburbia eiusdem, sive intra septem miliaria in circuitu eiusdem Civitatis, ac punitionem eorundem pro delictis suis in non bene exequendo, faciendo, et utendo illa: Necnon supervisum et scrutinium omnimodarum medicinarum et eorum receptorum per dictos medicos seu aliquem eorum huiusmodi ligeis nostris pro eorum infirmitatibus et huiusmodi curandis et sanandis dandorum, imponendorum, et utendorum, quotiens et quando opus fuerit pro commodo et utilitate eorundem ligorum nostrorum: Ita quod punitio huiusmodi medicorum utentium dicta facultate medicinae sic in praemissis delinquentium per fines, amerciamenta, et imprisonmenta corporum suorum, et per alias vias rationabiles et congruas, exequatur.

VOLUMUS etiam et concedimus, pro nobis, haeredibus et successoribus nostris quantum in nobis est, quod nec Praesidens nec aliquis de Collegio praedicto medicorum, nec successores sui nec eorum aliquis exercens facultatem illam quoquo modo in futurum infra Civitatem nostram praedictam et suburbia eiusdem seu alibi summoneantur aut ponantur, neque eorum aliquis summoneatur aut ponatur in aliquibus assisis, juratis, inquestis, inquisitionibus, attinctis, et aliis recognitionibus infra dictam Civitatem et suburbia eiusdem imposterum coram Maiore aut Vicecomitibus seu Coronatoribus dictae Civitatis nostrae, pro tempore existentibus, capiendis, aut per aliquem officialem seu ministrum suum, vel officarios sive ministros suos, summonendis: licet iidem jurati, inquisitiones, seu recognitiones summoniti fuerint super brevi vel brevibus nostri vel haeredum nostrorum de recto: Sed quod dicti Magistri sive Gubernatores ac Communitas facultatis antedictae et successores sui et eorum quilibet dictam facultatem exercentes versus nos, haeredes et successores nostros, ac versus Maiorem et Vicecomites Civitatis nostrae praedictae pro tempore existentes, et quoscumque officarios et ministros suos sint inde quieti et penitus exonerati imperpetuum per praesentes: Proviso quod litterae nostrae seu aliquid in eisdem contentum non cedent in prejudicio Civitatis nostrae London' seu libertatum eiusdem. Et hoc absque fine seu feodo pro praemissis seu sigillatione praesentium nobis faciendo, solvendo, vel aliqualiter reddendo: Aliquo statuto, ordinatione, vel actu in contrarium ante haec tempora facto, edito, ordinato, seu proviso in aliquo non obstante.

IN CUIUS rei testimonium has litteras nostras fieri fedmus patentes. TESTE me ipso apud Westmonasterium vicesimo tertio die Septembris anno regni nostri decimo.